

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Venerando uiro, &c. domino Georgio Buchholzer, praeposito ecclesiae Dei
in Berlin, amico suo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

defensionem: et inde subleuati à uictoribus aut defensoribus recipiebantur. Deinde scis, singulari religione supplices defensoribus commendatos fuisse, ut uersus inquit:

κὴν ἀδινὰν ἐνέτας, ἐνέται ἰσπὸρρς λέων ἀγυοί.

Etsi autem doctrina cœlestis illustriores con-
 ciones de coniugij fœdere proponit, quæ tibi no-
 tissimæ sunt: tamen quia hoc Pythagoricum dictum
 uestigia piæ antiquitatis recenset, & confert spon-
 sam ad supplicem: ualde eo dicto & ipse delector,
 & alios eruditos delectari audiui. Ideo tibi quoque
 notum esse uolui: & precor Deum æternum pa-
 trem Domini nostri Iesu Christi, cōditorem uniuersæ
 nature rerum, & generis humani, & authorem
 dulcissimæ consuetudinis coniugalis, ut tuo coniu-
 gio adsit, & faciat ut sit faustū & felix. Nos nunc
 temporibus retinemur, quo minus tecum & γα-
 μισία & meum natalem celebrem. Nam meus na-
 talis proximus est à tuis γαμυσίοις, uidelicet 16 Fe-
 bruarij. Bene uale. *κὴν τῆν νόμωφ φιδίνα δατο.*

Meministi enim uersum,

ἐγὶ λέων ἐν λευκοίσι φιδίνασιν ἀδεια τέρψις.

7 Februarij, Anno 1547.

Venerando uiro, &c. domino Georgio
 Buchholzer, præposito Ecclesiæ Dei
 in Berlin, amico suo,

S. D. Venerande domine Georgi. Mitto uobis
 pagellam

pagellam, in qua uera est series rerum gestarum
 quæ nobis significatæ sunt usq; ad diem 9 Augusti.
 Oremus Deum æternum patrem Domini nostri Ie-
 su Christi, ut nos gubernet, & restituat salutarem
 pacem. De cruce ita se res habet. Fuit magna mo-
 les minitans ruinam, diuq; funibus alligata fuit pa-
 rietibus. Cùm autem nuper sepulchrum foderetur
 non procul ab ea cruce, suasit fossor, ut amouere-
 tur crux, ne rueret. Ideo consul amoueri curauit,
 permittente domino pastore. Miror Principem Ne-
 re tali moueri. Sed Deus erit iudex omnium nostra-
 rum actionum, qui est inspector eordium, & uidet
 qui sincero corde ueritatē illustrare cupiant. Land-
 grauius dixit se aut Letum in cælum iturū, aut hoc
 labore Ecclesijs concordiam & pacem constitutu-
 rum. Bene ualete, Die 9 Augusti, Anno 1546.

Reuerendo uiro, domino Geor-
 gio Buchholtzer,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Scri-
 psi D. doctori Musculo, qui mecum expostulauit:
 optare me, ut harum regionum Ecclesiæ tranquil-
 le sint, nec me moturum esse certamen: ac de illis i-
 psis propositionibus, quas edidit, hortatus sum ut
 iudicia audiat Brunswicensis & Parthenopæ Ec-
 clesiæ. Certissimū est, Stoicam & Manicheā uicā
 uis contumeliosam esse contra Deum, & pernicio-

A 3 sam